



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Qvæstio III. Quæ sit hæc negatio, & cuius carentia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

Quæst. II. Quid addat Vnum supra ens. 255

111 Illud etiam dicas Patris Vasquez, licet aliquo modo concedamus, quia probabile est propter auctoritatem eximij Doctoris, nihilominus non ponitur secundum ipsius mentem, & sic non est contra Suarezum; nos autem quod potius dicimus est unitatē esse negationem relationis, id est divisionis formalis: unde argumentum non est contra nos, sicut nec contra P. Suarez ut diximus; quia ille non ait illam negationem esse multitudinis, quomodocumque, quod urget argumentum, sed formaliter terminatē per terminos positivos intrinsecos.

112 Secundum Dices, etiam non est accommodatum ad nos, nec secundum nostram sententiam, & sic nihil urget argumentum.

113 Ad ultimarum confirmationem, Respondeo unitatem recipere magis, & minus ratione fundamenti, non ratione formalitatis, & ita vnum ens dicitur magis vnum quam aliud, quatenus maiorem perfectionem, & minorem compositionem habet quam aliud, & sic unitas dicit maximam excellentiam, & perfectionem adhuc in divinis, ut asserit P. Suarez, non ratione suæ formalitatis, sed ratione positivi, in quo fundatur illa.

114 Similiter unitas dicitur fundare relationem identitatis, non ratione negationis, sed ratione positivæ convenientiæ & entitatis, cui adiungitur talis negatio; verum est quod ipsa negatio appelletur ratio fundandi, ut omnes asserunt, ad hoc autem ut unitas sit mensura utrumque debet includere positivum ut sit nota: negationem divisionis ut sit determinata.

QVÆSTIO III.

Quæ sit hæc Negatio, & cuius carentia.

SECTIO I.

Sententia Adversaria proponitur.

1 **P** RIMA sententia asserit Unitatem dicere formaliter negationem divisionis à se: sic P. Valencia, 1. p. disp. 1. q. 1. 1. puncto 1. Pater Gilius lib. 1. in primam partem tract. 3. cap. 3. n. 6. & probatur.

2 Primo in ea negatione formaliter debet consistere unitas transcendentalis, quæ magis opponitur divisioni illam destruenti, & constituitur primo, & per se multitudinem illi oppositam: sed divisio à se destruendo unitatem transcendentalem constituit primo, & per se multitudinem unitati oppositam; ergo, Maior est certa: Minor sic probatur; nam divisio rei à se destruit unitatem; deinde constituit multitudinem illi oppositam, quæ multitudo opposita unitati est multitudo rei, quæ una dicitur sub eodem nomine, & ratione: sed sola divisio rei à se constituit primo, & per se multitudinem rei sub eodem nomine, & ratione: ergo.

3 Secundo divisio primo, & per se opposita unitati est primo, & per se constitutiva multitudinis materialis: sed divisio in se non est constitutiva primo, & per se talis multitudinis: ergo non est primo, & per se opposita unitati transcendentali: sed unitas transcendentalis forma-

liter importat negationem eius, quod primo, & per se illi opponitur: ergo, Maior est certa: minor sic probatur. Illa divisio primo, & per se est constitutiva multitudinis materialis, quæ cum sit corruptiva rei quæ erat una, non corrumpit ex se partes, vel partem aliquam rei, quæ per illam dividitur; sed divisio rei in se totius compositi materialis, non solum corrumpit ex se unitatem compositi, sed etiam destruit partem formalem unius, cum implicet ex natura rei corrumpi simpliciter unionem formæ materialis ad materiam, & illam in rerum natura persistere: ergo.

Tertio ideo in acervo lapidum est absolute lapidum multitudo, quia in illo eadem ratio lapidis est ipsa, & non ipsa, sub eodem nomine, & ratione ob eandem multipliciter quam habet in diversis lapidibus: verum quippe est in acervo eandem rationem lapidis in hoc lapide esse ipsam. Et in alio non ipsam, cum hic ab illo realiter distinguatur: ergo è contra, ideo absolute aliquod ens est vnum ens, quia in ipso eadem ratio entis est ipsa, & non ipsa respectu sui, & aliorum: ergo unitas transcendentalis primo, & per se formaliter dicit divisionem à se.

Secunda sententia est eorum, qui asserunt unitatem primo, & per se includere divisionem ab alio: sic Capreol. in 1. di. incl. 1. & multi alij, probatur.

Primo, quia illud dicit vnum formaliter primario, quod formaliter, & primario constituit ipsum: sed vnum formaliter, & primario constituitur per divisionem ab alio: ergo dicit illam negationem primario.

Secundo, illud quod includitur primario in ratione, & definitione unius, est primario de essentia, & formalitate illius, sed divisio ab alio includitur essentialiter primario in ratione, & definitione unius: ergo dicit illam primario, & formaliter. Minor sic probatur primo, quia definitio unius solet hoc modo fieri, est indivisum in se, & divisum à quolibet alio: ubi definitio illa includit divisionem ab alio: ergo secundo, quia non esse aliud à se est esse divisum ab alio: sed non esse aliud à se includit supradictam negationem primario: ergo. Hæc minor sic probatur, esse aliud à se, & non esse aliud à se, opponuntur contradictoriè: ergo aliquod ex illis oportet ut includatur primario in ratione formali unius: sed non includitur affirmativum; ergo negativum, &c.

SECTIO II.

Nostra sententia ponitur, & probatur.

SUBSECTIO I.

Prima Conclusio ponitur.

Negatio quam dicit formaliter Vnum, non est divisionis à se: hæc est communior Doctorum sententia, sic Eximius N. Doct. in met. tom. 1. disp. 4. sect. 1. P. Fonseca 4. met. cap. 2. omnes Thomistæ cum Divo Thoma 1. p. q. 1. art. 1. & 2. in corpore, & in met. lib. 5. c. 6. & 7. & 3. parte q. 1. & 2.

Probatur primo, quia negatio quam dicit formaliter

maliter vnum, est ratio formalis per quam opponitur multitudini: sed hæc non potest esse negatio divisionis à se: ergo negatio, quam addit vnum formaliter, non est negatio divisionis à se. Maior est clara vt expresse tenet Arist. *toto lib. 5. met.* sed præcipue *capit. 5. 6. & 7.* & Divus Thomas explicat, & confirmat idem super eadem capita Aristotelis, latissime, quod etiam sine controversia admittunt adversarij. Minor probatur, quia negatio per quam vnum opponitur multitudini, est carentia divisionis illius, per quam multitudo constituitur in esse multitudinis vere, & proprie: sed multitudo vere, & proprie non constituitur in esse multitudinis per divisionem à se: ergo negatio per quam opponitur formaliter vnum multitudini, non est negatio divisionis à se.

10 Minor sic probatur, quia divisio à se est divisio chymica, & sine aliquo fundamento in rebus ficta: sed multitudo vera, & propria non constituitur divisione chymica, & mere ficta sine fundamento in rebus: ergo multitudo vera, & propria non potest constitui divisione à se. Minor illa sic probatur, quia eo modo est constitutum, ac est vltimum constitutum illius; unde chymica est ens rationis, quia vni inter duas essentias completas est chymica, & fictitia, & ideo homo est corruptibilis, quia vltimum constitutum ipsius, scilicet vni, aut compositio est corruptibilis, & album est ens accidentale, quia albedo est ens accidentale, à qua constituitur album: sed multitudo de qua loquimur est verumens reale, & ideo Arist. dividens ens reale dividit illud in vnum, & pluram: ergo constitutum illius vltimum non potest esse divisio chymica, & sine fundamento, sed potius divisio realis, sicut v. g. vltimum constitutum vnitatis realis, non potest esse negativum aut positivum chymicum, sed potius debet esse vera, & realis formalitas, vt constitutum sit vere, & reale ens: sed multitudo de qua loquimur, est vera, & realis multitudo: ergo non potest constitui vltima formalitate ficta, & chymica: sed divisio à se est chymica, & fictitia: ergo multitudo vera, & realis, quæ opponitur vnitati, non potest esse divisio à se.

11 Maior illius syllogismi sic demonstratur, quia divisio à se vel est separatio eiusdem à se ipso, vel distinctio à se, aut est, vt ipsi Adversarij explicant, vt videre est in Fonseca *lib. 4. met. cap. 1. quest. 5. sect. 5.* his verbis. Quod divisio à se est vt eadem res bis accepta per mentem concipiatur ipsa, & non ipsa, & Gilius addit vt res eadem bis accipiatur tanquam duo sub vna ratione communi, alias non conciperetur eadem res bis per mentem, quia vt modo vsurpamus, concipere bis per mentem nihil aliud est, quam idem nostro concipiendi modo dividi in duo convenientia inter se nostro etiam cognoscendi modo in aliquo tertio communi illis, sic ille.

12 Sed quæcumque harum divisionum est chymica: ergo divisio à se quomodocumque sumatur est chymica fictitia, & sine fundamento in rebus: minor quoad primam partem sic probatur, quia quod Deus v. g. separatur à seipso, vel ens à seipso petit quod Deus sit, & non sit ipse Deus, & quod ipsum ens sit, & non sit ipsum: sed quod Deus sit ipse, & non sit ipse simul, &c. est maxime chymicum, & fictitium, quia opponitur illi principio evidentissimo omniumque

maxime dignitati, impossibile est idem esse, & non esse: ergo divisio à se primo modo accepta est chymica, & sine fundamento.

Maior sic probatur, quia quod separatur ab 13 alio petit necessario vt in ea ratione qua separatur ab illo non sit illud à quo separatur, sive sit separatio mutua sive non mutua, sive virtualis sive formalis, v. g. quia anima separatur ab homine realiter, etiam si non mutuo separatur ab illo, distinguitur realiter ab homine, & non est homo realiter, & formaliter: item quia materia prima separatur mutuo à forma, & forma separatur mutuo à materia realiter, realiter materia non est forma, neque forma materia, & quia anima actualiter separatur à rationali, virtualiter non est rationalis: ergo quidquid separatur ab aliquo, quomodocumque separatur in ea ratione, qua fit talis separatio non erit illud à quo separatur; minor illa sine controversia est vera, quia sine controversia est verum esse chymicum, quod de eadem re sub eadem ratione formali possint verificari simul duæ contradictoriæ; ideo enim compositum ex homine, & equo; ita vt resulter vnum totum ex ipsis essentialiter, est chymicum, & sine fundamento, quia de illo subiecto, & de eius partibus verificarentur duæ contradictoriæ simul, vt ab omnibus docetur: ergo dicere quod eadem entitate sub eadem ratione formali verificantur duæ contradictoriæ est chymicum, & sine fundamento; sed quod Deus sit, & non sit ipse simul, & quod ens sit idem, & non idem simul, sunt duæ contradictoriæ: ergo petere quod Deus sit ipse, & non ipse simul sunt chymica, & fictiones sine fundamento.

Secunda etiam divisio à se id est distinctio à 14 se etiam est chymica, & fictitia, quia in sententia omnium Philosophorum duplex tantum distinctio rationis datur, alia sine fundamento, quæ chymica dicitur, & vocatur rationis rationis, alia est rationis ratiocinata: cum fundamento in rebus, exemplum primæ distinctionis ponunt omnes Doctores metaphysice in distinctione Petri ab ipso Petro, & ratio evidens est, quia minimis ab eodem homine, & ratio evidens est, quia nullum fundamentum datur ad hoc vt tollatur identitas, manendo identitate: atqui quando distinguitur idem à seipso, tollitur identitas manendo identitate: ergo talis distinctio est sine fundamento, quod autem tollatur identitas manente identitate, quando idem distinguitur à seipso, patet manifeste, quia ab eodem non potest tolli constitutum essentiale illius, manente eodem, sed constitutum essentiale huius concreti, idem est identitas: ergo non potest ab illo tolli identitas: sed quando distinguitur tollitur ab illo: ergo quomodo distinguitur idem ab eodem, tollitur identitas manente identitate. Deinde, quia post idem Petrus sit idem secum, quem à seipso distinguitur, si est ipse: ergo iam cum identitate datur distinctio: sed posita distinctione aufertur identitas in illo genere: ergo posita distinctione Petri à se ipso tollitur identitas, & manet identitas; si autem non manet idem: ergo non distinguitur eundem Petrum à seipso manente Petro: sed potius destruit Petrum, de quo non loquimur; distinctio enim inter aliqua, quando conservatur distinctio non destruit extrema distinctionis, alias si destruerentur, non maneret distinctio actualis, v. g. quando divido vnam aquam ab alia, non destruo

aquas inter quas datur distinctio, sed potius si existit distinctio actu necessario debent existere extrema distincta: sed postquam distincti sunt Petrus à se ipso, & dicitur de præterito, Petrus est distinctus à se ipso, manet Petrus, & idem Petrus, quia manet actualis distinctio inter illos: ergo manet identitas, & ipsitas inter Petrum, & ipsum Petrum: ergo manente identitate tollitur ipsa identitas, quia distinctio quæ ponitur est ablatio identitatis: ergo talis distinctio inter Petrum, & ipsum Petrum est sine dubio chimerica.

15 Explicatur amplius, quia hæc propositio, Petrus est Petrus, est omnino identica, ac proinde minime est formalis; unde nullam admittit Petrus cum ipso distinctionem, etiam per rationem, alias non esset identica, sed formalis, ideo enim hæc propositio est formalis, homo est ens, quia saltem minimam distinctionem per rationem admittit, subiectum cum prædicato, quæ est pene confusum, & expressum: ergo si hæc propositio, Petrus est Petrus, est omnino identica, signum evidens est inter prædicatum, & subiectum, nullam dari distinctionem, neque adæquatam neque inadæquatam, nec tanquam magis expressum, & confusum, quæ minima inter distinctiones est, quia si hæc saltem daretur sola sufficeret ad reddendam formalem propositionem, imo hæc identitas summa est cum summa repugnantia distinctionis; ac proinde sine ullo fundamento ad illam; nam si aliquod fundamentum daretur ad distinguendum Petrum à se ipso, cum fundamento posset intellectus facere huiusmodi distinctionem; ac proinde esset formalis prædicatio Petrus est Petrus: ergo si non est formalis prædicatio ullo modo, nullo modo cum fundamento potest distinguere: ergo distinctio facta inter Petrum, & ipsum, erit distinctio chimerica, & sine fundamento: ergo divisio à se in hoc secundo sensu est chimerica.

16 Item chimerica est divisio à se, explicata à Gilio, & à Fonseca, quia sine fundamento est concipere rem ipsam, & non ipsam, nam si chimerica est compositio inter essentiam Dei, hominis, & leonis, quia remota, & mediate ratione talis compositionis conciperetur Deus simul, & non Deus, ac proinde conceptio illa opponeretur evidentissimo illi principio, impossibile est idem simul esse, & non esse; quod nec realiter nec per rationem patitur aliquam exceptionem: ergo à fortiori hoc à Gilio, & Fonseca distinctionis genus inventum erit chimericum, & sine fundamento, siquidem immediatius, & expressius opponitur illi principio, nam illud principium est idem simul non potest esse, & non esse: atqui Gillius, & Fonseca dicunt divisum à se esse, & non esse simul: ergo immediatius, & expressius opponitur illi principio distinctio inventa à Gilio, & Fonseca: ergo immediatius illa est chimerica.

17 Item res cognosci tanquam duo cum ipsa sit una maxime fictitium est, quia dualitas aliquorum necessario dicit distinctionem inter illas, quæ faciunt dualitatem, ut patet discurrenti: sed ut iam probatum est, non potest dari distinctio inter ens, & ipsum ens, sub illa ratione communis, alias darentur duæ rationes communes eiusdem rationis, v. g. duo entia ut sic, duo animalia ut sic, duo homines ut sic, quod est fictitium, & chimericum, quia vnum ex illis entibus ut sic, R. P. Ideph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.

abstrahitur ab omnibus entibus: ergo si datur aliud ens ut sic, abstrahitur ab alijs: sed fictitium est ultra omne dari aliud: ergo. Item maxime fictitium est dari aliquam rationem superiorem supra ens ut sic, quia ens ut sic, est ultima, suprema, & universalissima ratio: sed fictitium est ultra ultimum dari aliud, quia iam est, & non esset ultima, & suprema omnium: ergo omnis divisio à se quomodocumque concipiatur, est fictitia, chimerica, & sine fundamento: sed multitudo quæ opponitur unitati non est chimerica, sed realis multitudo: ergo non constituitur per divisionem à se.

18 Vegetur, quia oppositio, quæ datur inter unitatem, & multitudinem, non solum est una vera, & realis, sed potius tres oppositiones, iure, & reales assignantur ab Aristotele, 10. lib. Metaph. Prima est privativa, de qua loquitur Philosophus cap. 7. dicendo: restat igitur, aut ut negationem opponi aut privationem unitatem. Secunda relativa est, de qua ipse e. 8. eiusdem lib. 10. legitur dicendo, etenim multa vni simpliciter opponuntur: ita enim dicimus vnum, aut multa ut mensuratum ad metrum, id est mensura, & mensurabile, & opponuntur vnum, & numerus, scilicet dictum est eorum, quæ ad aliquid quædam. Tertia est contraria ratione fundamenti, cum ait vnum, & multa opponi contrarie, quæ omnes oppositiones veræ & sine fictione sunt, ut omnes Doctores explicantes Aristotelem affirmant, & præcipue Dives Thomas, supra omnia hæc verba Aristotelis, confirmat has omnes oppositiones, & ratio evidens est, quia multitudo ut multitudo datur à parte rei, v. g. multitudo hominum, lapidum, Angelorum, &c. ergo constitutum illius debet esse reale, quia eo modo est constitutum, quo est constitutum; & e contra, quia constitutum est de essentia constitutum: sed multitudo quæ divisione constituitur est realis: ergo, & divisio debet esse realis: sed divisio à se non est realis, ut probatum est: ergo divisio à se non potest esse constitutum multitudinis oppositæ unitati: sed unitas constituitur negatione illius divisionis, per quam constituitur multitudo: ergo si per divisionem à se non constituitur multitudo, neque unitas constituetur negatione divisionis à se.

SUBSECTIO II.

Amplius confirmantur dicta, & solutiones Adversariorum refutantur.

19 **Q**uia eo modo est carentia formæ, quo est ipsa forma secundum se: sed divisio à se est formalitas, fictitia, & chimerica: ergo negatio seu carentia divisionis à se est fictitia, & chimerica: sed unitas realis in quantum vera, & propria unitas, non potest constitui ratione formali chimerica, propter rationem dictam subseptione præcedenti, & etiam quia unitas est attributum reale entis realis. Unde, & Dei in quantum Deus est, & sic huiusmodi unitas datur à parte rei ante omnem fictionem, & operationem intellectus, quia attributa divina tam formaliter quam materialiter sunt vera, & realia: unde formalitates illorum debent esse reales, & non entia rationis chimerica, alias attributa Dei essent entia chimerica, & sine fundamento, quod lumini natura-

li contradicit, & anathematizatur à fide divina: ergo vnitas non constituitur negatione diuisionis à se.

Maiores est, certa, quia ideo carentia vnionis, & compositionis, quæ datur in Deo respectu hominis secundum suam essentiam; item carentia quæ datur in leone vnionis cum homine, non est carentia realis, sed ficta, & chymica, quia compositio inter Deum essentialiter, & hominem simul cum essentia leonis est chymica, & fictitia, quapropter compositum ex essentia Dei, essentia hominis, essentia leonis, & arboris est chymica, ac proinde nullus potest dicere quod carentia compositionis chymicæ in Deo sit attributum ipsius, quia talis carentia est fictitia, & chymica; item cæcitas in chymica, & carentia albedinis in ipsa sunt fictitiæ, quia formæ quæ dantur in chymica, sunt fictitiæ: ergo eo modo est carentia seu negatio formæ, quo est ipsa forma secundum se.

20 Dices non ideo carentiam alicuius formæ esse esse chymicam, quia forma illius est impossibilis, nam simplicitas Dei est carentia compositionis in Deo, & per vos vnitas Dei est negatio diuisionis in Deo: sed compositio, & diuisio in Deo sunt impossibiles, & entia rationis, & nihilominus carentia compositionis, & diuisionis sunt vere carentiæ, & negationes, ac proinde vere constituunt Deum in esse vnus, & simplicis: ergo mala est argumentatio à forma ad carentiam illius.

21 Sed contra manifeste, quia nos non dicimus carentiam esse chymicam ex eo quod forma, cuius carentia est, sit impossibilis respectu huius vel illius, vel quia est ens rationis applicata huic, vel illi: sed potius dicimus esse chymicam carentiam, & negationem, quando forma respectu cuius carentia est in tota latitudine entis est impossibilis, ac proinde fingitur sine fundamento in rebus; nam licet aliqua forma sit impossibilis respectu alicuius, dum tamen in alijs sit vera, & realiter illa forma, carentia illius formæ est vera, & propria etiam in Deo, quia iam secundum se illa forma non est ficta, v. g. negatio identitatis cum creatura in Deo est vera, & propria negatio, quia est vera, & propria distinctio Dei, licet talis identitas sit impossibilis Dei, quia identitas secundum se vnus entitatis cum creatura est vera & realis, de quo supra questione præcedenti, late egimus; quare negatio multitudinis aut pluralitatis, quæ datur in ipso Deo, est vera, & propria, & non chymica, cum detur in numero ternario hominum, & Angelorum vera pluralitas; imo in tribus relationibus diuinis datur vera, & propria multitudo: ergo iam formalitas vnitatis habet pro opposita formalitate: ergo ipsa est vera, & propria ratio constitutiva: item simplicitas si est negatio compositionis, habet pro opposita formalitate compositionem realem quæ à parte rei datur sine fictione, in multis entibus realibus; unde compositio secundum se non est fictitia, & per consequens negatio illius in Deo erit etiam vera, & propria sine fictione.

22 Si autem forma illa cuius carentia est, ita sit impossibilis, & chymica, vt non solum respectu Dei, sed etiam respectu omnium creaturarum, & secundum se sit impossibilis, & chymica, ac proinde sine fundamento ficta, negatio seu carentia illius absolute chymica erit: sed diuisio à se non solum est chymica respectu Dei, sed etiam

respectu cuiuscumque creaturæ; imo in se omnino est impossibilis, & sic nullum exemplum poterit præberi, in quo aliquid diuidatur à se ipso, sicut multa exempla tribuuntur, in quibus aliquid diuiditur in proprias partes, ac proinde in se ipso, vt videre est in diuisione, qua diuiditur homo in partes, quibus constat, & diuisio qua diuiditur acervus in lapides: ergo diuisio à se non est comparanda cum diuisione in se, quoad veritatem, & proprietatem, quare licet carentia diuisionis in se sit vera, quia oppositum eius non est chymericum, nihilominus carentia diuisionis à se, chymica erit, quia diuisio à se est chymica vt supra late demonstrauimus.

Dices illam negationem non esse diuisionis formaliter, sed materialiter, id est multitudinis terminatæ realiter; unde licet vnum extremum id est distinctio formalis sit rationis, est fictitia; cum tamen ipsa ratio materialis multitudinis sit à parte rei realis; unde est quod carentia realis sit.

Sed contra, quia in diuisione à se non solum formalitas, sed etiam materiale est ens rationis, quia materiale est pluralitas terminatæ: sed chymericum est quod in eodem respectu eiusdem datur pluralitas terminatæ, quia eadem entitas non potest esse plures cum terminis; nam pluralitas dicit distinctiōem, ac proinde negationem identitatis: sed inter Petrum, & ipsum Petrum non potest dari negatio identitatis: ergo non potest dari pluralitas materialis, nam pluralitas materialis petit, v. g. dualitatem: sed vna, & eadem entitas non possunt esse duæ entitates: ergo chymericum est dicere in ipso respectu eiusdem posse dari pluralitatem materiale: unde pluralitas materialis in nostro casu erit chymica: ergo non solum erit chymica carentia diuisionis à se formaliter, sed etiam carentia diuisionis à se materialiter.

Secundo contra, quia illa negatio diuisionis materialis nihil aliud est quam subiectum, vel materia illius diuisionis à se, nam v. g. materia prima tunc dicitur materia humana; non quando consideratur secundum se, sed quatenus inest formæ rationali; nam materia secundum se est humana neque est equina, quia est indifferens vtrique, & æqualiter respicit vtramque, unde non est maior ratio quare dicatur humana potius quam equina, sic similiter multitudo illa realiter dicitur diuisio à se materialis, quia constituitur formaliter, & est subiectum diuisionis à se; sed etiam quod illa multitudo sit subiectum illius diuisionis, vel quod sit materiale respectu illius est chymericum: ergo carentia illius, vt materialis diuisio est, etiam est fictitia, & chymericum; sicut euidenter demonstratur hoc exemplo non solum est chymica vnio essentia Dei, cum essentia leonis, ad consociendum essentiam vnā monstruosam, sed etiam ipsa essentia Dei, & ipsa essentia leonis, si vt subiectum, & vt materia illa vnionis sumantur, recipiendo talem vnionem chymicam sunt, unde carentia talis subiectionis chymicæ chymica erit in Deo, quia sicut est chymericum esse Deum positivum subiectum vnionis illius ad componendam chymicam, ita etiam est chymica carentia, seu negatio talis esse materialis, quod etiam contingit in forma hominis, sumpta vt materia respectu Angeli ad componendum alium Angelum, quia compositio illius est fictitia sine fundamento:

Quæst. III. Quæ sit hæc negatio, &c. 259

fundamento: unde, & carentia talis receptionis, & talis subiecti respectu vnionis est etiam fictitia.

26 Et ratio evidens est, quia sicut est actus secundus, sic est actus primus; unde potentia in lapide ad videndum est chymérica, quia visio orta à lapide est talis, & ideo evidenter sequitur, quod actus primus volitionis non sit intellectus, sed voluntas, & actus primus visionis non sit auditus, sed potentia visiva, sed vnio, aut receptio est actus secundus subiecti seu materiæ: ergo si illa receptio seu vnio est chymérica, ipsum esse materiæ, quatenus materia est talis receptionis, seu vnionis erit chymericum, quia datur eadem ratio in vno ac in altero.

27 Ideo enim ipsa vnio chymérica est, quia est vnio sine aliquo fundamento, & cum evidenti repugnantia respectu rerum vnitarum: atqui sine fundamento est, & chymericum quod Deus recipiat vnionem ad componendam chymeram: ergo chymericum est esse subiectum illius vnionis.

28 Sed illa multitudo quatenus materia, & subiectum illius divisionis à se recipit ipsam divisionem, vt formam chymericam: ergo ipsum esse materiæ vt materiæ illius divisionis à se erat chymericum; unde, & negatio materialis illius vt talis, quatenus recipit talem formalitatem divisionis à se, erit simpliciter chymérica, & sine fundamento: ergo sicut negatio divisionis à se formaliter est fictitia, & sine fundamento, quia opposita formalitas est chymérica, etiam erit fictitia sine fundamento negatio multitudinis materialis recipientis divisionem à se; unde vnitas quæ reale attributum est, neque erit negatio divisionis à se materialis, vel formalis: sed alterius divisionis, & multitudinis realis per divisionem in se; nam re dividi in partes quotidie contingit, ipsam autem dividi à se ipsa, nequaquam potest contingere; imo neque cogitari cum fundamento, cum maxime repugnet idem esse, & non esse idem, quod maxime necessarium est ad hoc vt divisio à se verificetur.

SVBSECTIO III.

Alia solutiones ponuntur, & refutantur.

29 Respondent Adversarij in tali multitudine vtcumque esse reale tam materiale, quam formale, quia licet repugnet eandem rem esse duas, & idem simul esse hoc, & non hoc, tamen simpliciter non repugnat in rerum natura esse hoc, & non hoc sub eodem nomine, & ratione vt duo lapides quorum neuter est alter.

30 Sed contra, quia à parte rei essentialiter repugnat esse idem, & non idem sub eodem nomine, & ratione reali: ergo falsa est solutio, imo per rationem repugnat idem esse, & non esse: ergo, quia non solum à parte rei verificatur illud evidentissimum axioma, impossibile est idem esse, & non esse, sed etiam per rationem, vt supra late probavimus: quia non solum est falsum dicere à parte rei, lapis non est lapis, sed etiam per rationem est falsum, lapis non est lapis, præcipue cum illa conditione ab adversarijs dicta sub eodem nomine, & ratione; nam si esset sub alio nomine, vel sub alia ratione, non esset inconueniens, quia de animali, quod realiter est rationale sumpto, R.P. *Idæph. de Penafiel, Theol. Schol. Tom. I.*

sub nomine rationalis, & sub ratione principij, ratiocinandi, potest negari per rationem quod sit animal, de animali autem sub ratione, & nomine animalis, nec realiter, nec per rationem cum fundamento aliquo, sed mere chymericæ potest negari quod sit animal, quia negare quod animal sit animal, vel cognoscere animal sub conceptu, & nomine animalis, & non animalis est distinctio, quæ ab omnibus Doctoribus vocatur rationis ratiocinantis, hoc est sine fundamento, & sic chymérica, & immediate, & expresse opposita illi principio, impossibile est idem simul esse, & non esse.

Hoc totum eodem exemplo adversariorum demonstratur, quia à parte rei ratio huius lapidis est distincta, & non est eadem cum alio lapide à parte rei, & cum quacumque ratione illius, quia quidquid est in hoc lapide realiter, distinguitur realiter ab omni quod est in alio lapide; nam, v.g. non solum ratio entis substantiæ, sed etiam corporis, lapidis, adamantis, & talis adamantis distinguitur ab omnibus formalitatibus alterius, quod demonstratur non solum argumentis à nobis factis in Logica, vbi probavimus à parte rei non posse dari universale formaliter, sed etiam in hunc modum, quia Deus potest annihilare totum hunc adamantem, manente quicquid est in alio adamante realiter, ita vt hic secundus maneat quoad omnia prædicata positiva; alius vero annihilatur, quoad omnia illa, ita vt omnium formalitatum ipsius non remaneat, nisi non repugnantia ad existendum, & possibilitas illius: ergo à parte rei quicquid est in hoc lapide non est alius lapis, sed tantum datur similitudo inter hunc, & alium lapidem, quæ similitudo petit hoc quod diximus, distinctionem scilicet totalem, & negationem realem ad quare, inter hunc & illum lapidem sine aliqua identitate, & vnitate vera, & reali in esse lapidis: ergo falsum est dicere quod idem esse, & non esse realiter potest sub eadem ratione reali, siquidem hic lapis realiter, non est idem cum alio: unde absolute repugnat realiter esse, & non esse hoc vt est evidentissimum axioma, & prima dignitas metaph. docet.

Si autem dicatur quod est idem fundamenta-

liter, Contra, quia iam deficit ex alia parte, nam nunquam est non idem in ea ratione, quæ idem est: sed in ea ratione qua nunquam fuit idem, quia identitas fundamentalis inter duos lapides est convenientia, & similitudo: sed nunquam realiter potest esse non convenientis cum alio lapide sub eodem nomine, & ratione: ergo nunquam realiter datur illa divisio à se quæ petit vt hic lapis sub eodem nomine, & ratione sit hic, & non hic lapis simul.

Nec potest dici quod est idem per rationem, & realiter, non est idem.

Contra primo, multitudo vt opposita vnitati est materialiter, & formaliter realis, quia cum oppositio sit realis, etiam rationes formales oppositorum sunt reales, vt ipsi adversarij in hac solutione quam oppugnamus concedunt. Vnde divisio materialis, & formalis est realis: ergo si carentia realis est, quæ constituit aliud oppositum, vnitatem scilicet, hoc erit, quia carentia formæ est totaliter realis, sine aliquo constitutivo fictitio, nam si aliquod fictitium habet, negatio illa non erit vera, & realis; sed divisio à se petit aliquid rationis, nempe quod lapis sit idem per rationem

K K 2

tionē cum alio: ergo negatio illius divisionis, quæ constituit vnum realiter vt verum attributum entis, & quæ Deus est vnus transcendentaliter adæquate non potest esse negatio illius divisionis, sed alterius cuius constitutum adæquatum non sit rationis, sed reale, & sine dependentia ab aliqua fictione intellectus, quia si est cum aliqua fictione, absolute negatio illius erit ficta, v. g. carentia quam dicit Deus essendi vniuersalis, fictitia est, quia licet vniuersale dicat aliquid reale, quod est natura, attamen dicit aliquid etiam rationis, quod est vniuersalitas.

34 Clarius, & evidentius exemplum, carentia quam dicit Deus chymæ est fictitia, quia licet chymæa includat aliquid reale, id est essentia hominis, & leonis, & etiam ipsam essentiam Dei, nihilominus quia includit aliquid fictitium, v. g. vel vnionem, vel identitatem, divisio illius chymæa est mera fictitia: ergo si divisio à se, sive vt materialis, sive formalis includit rationem fictitiam, id est quod hic lapis sit alius lapis, (scilicet includat aliam partem realem, negatio totius illius erit fictitia, & non realis, quia bonum ex integra causa, &c.

35 Secundo, quia vnitas absolute est realis: ergo absolute carentia illius est ante omnem operationem seu fictionem intellectus: ergo & positivum illius est etiam ante omnem fictionem, seu operationem intellectus: sed divisio à se, saltem quoad id quod sit idem, est per rationem, & fictionem: ergo divisio à se non est positivum quod formaliter, vel materialiter negat vnitas: præterea quia lapis vt sic per rationem communicatus duobus lapidibus, adhuc vt in illis est ex parte sui per rationem consideratus, in sententia Adversariorum est idem, & habet vnitatem illam, solum enim per intellectum est divisus, non ex parte superioris, sed ex parte differentiarum, v. g. quando dividitur homo vt sic in talem vel talem hominem, non dividitur ex parte sui; unde in illa ratione adhuc vt est in illis ex parte ipsius rationis nulla datur distinctio: sed solum ex vi differentiarum, quia hoc est verum per intellectum Petrus, & Paulus, non distinguuntur in ratione hominis, ex vi rationis hominis, quia sunt idem in illa ratione per rationem; solum enim non sunt idem per differentias, quando enim dicimus Petrus, & Paulus sunt idem in ratione hominis, non concipimus rationem hominis, vt præcisam; sed iam vt existentem in Petro, & in Paulo; nam si ratio hominis concipitur præcisam, quomodo dicimus Petrum, & Paulum non distinguere in illa ratione hominis: ergo per rationem non est idem & non idem; nam ratio lapidis semper est idem, differentia autem semper sunt non idem per rationem; unde aliud per rationem est idem, & aliud per rationem non idem: ergo adhuc per rationem non datur divisio à se.

36 Confirmatur secundo, quia negatio per vos, quæ constituit Deum in ratione vnus transcendentalis, est negatio divisionis Dei in partes subiectivas: sed hæc divisio est fictitia sine fundamento: ergo & negatio: ergo vnitas non constituitur in ratione vnus per illam negationem, quia quod reale est, non constituitur per fictitium. Maior est certa, quia per vos vnum transcendentalē constituitur per divisionem à se negatam, quæ constituit in divisione rei in partes subiectivas: ergo Deus qui vnus vere transcendentalis est, constituitur per negationem divisionis in partes

subiectivas ipsius, id est in Deos tanquam in inferiores ipsius, animal enim dividitur in partes subiectivas, quando dividitur in inferiora animalia, v. g. in hominem, & equum, quæ sunt talia animalia inferiora essentialiter animalis vt sic.

Minor præcipua sic probatur, quia ens rationis sine fundamento est facere seu constituere Deum vt talem in esse vniuersalis participabilis ab inferioribus eiusdem rationis, nam Deus essentialiter individuus est: sed individuum vt individuum, non potest cum fundamento in ea ratione qua tale individuum expresse est, fieri vniuersale: ergo. Nam v. g. in omnium sententia, Socrates vt Socrates est, nullum habet fundamentum, vt concipiatur per intellectum vt vniuersale, in quo distinguitur Socrates vt Socrates à gradu specifico hominis, qui est in ipso Socrate, qui propter convenientiam quam habet cum alia ratione hominis, inventa in alio individuo, scilicet Platone, potest præscindi, & fieri vniuersale, quod minime contingit in Socrate, qui sub illa ratione expressa, & formalitate Socratis, quoad explicitum, nullam habet convenientiam, sed vltimam differentiam cum Platone, & ideo nullum datur fundamentum in illo vt tale est, vt vniuersale efficiatur; quis enim vnquam dixit dari Socratem vt sic cum fundamento: sed Deus essentialiter vt talis est, est individuum essentialiter, sine aliqua convenientia in esse Dei cum alio: ergo sine fundamento est fingere Deum vt vniuersale divisibile in partes subiectivas, & participabile ab inferioribus eiusdem rationis: consequentia illa præcipua sic patet, quia iam, vt supra probatum manet, positivum est fictitium sine fundamento, etiam negatio illius positivi erit negatio sine fundamento, & fictitia: sed illa negatio divisionis à se in Deos, est negatio cuiusdam positivi, quod est chymericum, & fictitium sine fundamento: ergo & negatio.

Dices Deum non constitui in esse vnus transcendentaliter per negationem divisionis à se vt Deus, sed per negationem, &c. vt ens: ens enim cum fundamento dividitur in partes subiectivas.

Sed contra, quia sicut ens est vnum transcendentaliter, quia negat divisionem in sua inferiora in esse entis vt sic, etiam Deus debet contrahere illam negationem divisionis, & constitui non in esse vnus vt sic, sed in esse talis vnus transcendentaliter per talem negationem divisionis, id est per divisionem Dei in inferiora ipsius eiusdem rationis, v. g. licet ens constituatur in esse vnus per divisionem in tertia inferiora, animal constituitur in esse vnus animalis per negationem talis divisionis, id est in animalia inferiora; item licet substantia vt sic constituatur in esse substantia per ens per se vt sic, nihilominus Angelus constituitur in esse talis substantia, non solum per ens per se vt sic, sed per ens per se vt sic contractum, ad esse spiritus completi, unde constituitur in esse talis substantia per ens spirituale per se completum: ergo si ens vt sic est vnum transcendentalē per negationem divisionis à se vt sic, quæ constituit in hoc, quod non dividatur in plura entia sibi inferiora, sic Deus debet constitui per negationem talem divisionis à se, id est Dei in alios Deos, vt in subiecta inferiora ipsius, quod est sine fundamento: nam v. g. sicut illa divisio est cum fundamento, quæ petit à parte rei duo convenientia realiter in illa ratione, qua vt superior concipitur, ita si non datur, nec sunt possibilia talia duo convenientia realiter in aliqua ratione superiori, est sine fundamento

mento considerare aliquod superius divisibile in partes subiectivas; vt in exemplo Socratis patet, quia non dantur duo, quæ conveniant in illa ultima ratione Socratis, ideo non potest cum fundamento concipi Socrates vt sic, participabilis à duobus: ergo à fortiori si non possunt dari duo Dij, convenientes realiter in esse Dei, non potest concipi Deus vt sic, divisus cum fundamento in duos Deos; unde etiam negatio illius divisionis erit fictitia, & sine fundamento.

40 Item; quia adhuc in ente, negatio talis divisionis est fictitia, quia ipsa divisio, quæ est forma, est fictitia, licet cum fundamento; quia eo modo est negatio, seu carentia, quod est ipsum positivum, cuius negatio est, vt iam dixi, cum totum esse negationis sit in ordine ad positivum; quia positivum est mensura negationis: ergo carentia illa ens rationis erit, unde non erit constitutum unitatis transcendentalis, quæ unitas realis est: quod sic declaratur, unitas transcendens est prima passio, seu attributum entis, & vt abstraham ab omni opinione, est id quod primo convenit realiter entis, & ante quamcumque fictionem, & ens rationis; ergo in illa negatione divisionis ponenda est unitas, quæ primo convenit ipso enti realiter: sed negatio divisionis in se prius convenit, & realiter convenit enti, quam negatio divisionis à se: ergo in illa negatione priori ponenda est unitas, & non in hac posteriori; soli hæc minor est dubia, & sic probatur, omne reale sine fictione, est prius ente rationis: sed illa negatio divisionis in se est realis, vt postea probatur; & negatio divisionis à se est fictitia: ergo divisio in se est prior divisione à se.

41 Ad hoc Respondent Aversarij negando, quod prior sit negatio divisionis in se quam à se, & rationem sic tribuunt, quia sicut est prior communissima ratio entis, quam ratio entis simplicis, vel compositi, ita similiter prior est negatio divisionis à se quam in se.

42 Contra primo, quia prius est in ipso ente esse ens reale, quam universale: ergo prius est convenire attributum vnus enti quam divisio à se: antecedens est certum, quia in ente prius est habere esse reale, quam esse rationis: sed universalitas est ens rationis: ergo prius convenit enti esse ens reale, quam universale. Consequentia sic probatur, quia unitas transcendentalis convenit enti in quantum est ens reale, & negatio divisionis unitatis transcendentalis est etiam realis: sed negatio divisionis à se convenit enti, non in quantum est reale absolute, & primario; sed quatenus est universale saltem fundamentaliter, cuius formalitas est universalitas rationis: ergo esse vnum transcendentaliter convenit enti ante negationem divisionis à se; probatur, quia esse universale fundamentaliter, est esse conveniens cum alio in ratione entis; sed ens prius est in ordine ad se, quam quod conveniat cum alio in ratione entis; nam hæc est vera causalitas, ideo hæc duo entia conveniunt in ratione entis, quia sunt vere entia, & hæc est falsa, ideo sunt vere entia in se, quia conveniunt realiter in ratione entis secundum illud axioma; prius est aliquid in ordine ad se quam in ordine ad aliud: sed ens est in ordine ad se ens reale, & est conveniens cum alio, seu habet convenientiam non in ordine ad se, sed ad aliud; ergo prius est esse ens, & vnum transcendentaliter quam esse universale, etiam fundamentaliter: sed divisio à se sequitur universale formaliter; ergo negatio divisionis à se sequitur ens vt universale fundamentaliter: sed ne-

gatio unitatis, hoc est quia constituitur formaliter vnum, est ante universale fundamentaliter: ergo illa negatio est prior negatione divisionis à se; quia hæc negatio sequitur ad universale fundamentaliter, quod est posterius vno transcendentali, quod autem negatio divisionis à se sequatur universale fundamentaliter, sic patet; quia universale fundamentaliter est in aptitudine ad essendum universale formaliter: sed subiectum quod est capax formæ, est capax negationis, seu privationis illius formæ: ergo si universale fundamentale est capax universalitatis formalis, etiam quando non habet illam universalitatem formaliter, habebit carentiam illius, quod non sit pura negatio, seu privatio; quia privatio datur in subiecto apto ad recipiendam formam, quando non est forma in tali subiecto.

Deinde, quia id quod est vnicum essentialiter, nullo modo est universale fundamentaliter, quia sub illa ratione non habet convenientiam cum alio, quæ est universalitas fundamentaliter, vt patet ex terminis; ac proinde non potest esse capax universalitatis formaliter, quæ essentialiter petit convenientiam constitutivam universalitatis fundamentalis: sed divisio à se sequitur universalitatem; ergo indivisio à se, quæ opponitur tali divisioni, nullo modo potest esse constitutiva unitatis, quia indivisio, quæ constituit unitatem, ita convenit vnicum essentialiter, vt etiam possit convenire non vnicum, sed vni quod est capax universalitatis fundamentalis: sed negatio divisionis à se solum convenit vnicum essentialiter, quia habet negationem conveniendi cum altero; ergo indivisio à se, quæ solum convenit vnicum, nullo modo est constitutiva unitatis, præcipue, quia vt diximus, res prior est in ordine ad se, quam in ordine ad aliud: sed ens in ordine ad se constituitur in esse vnus transcendentaliter, per negationem divisionis, & per ordinem ad sua inferiora constituitur per negationem divisionis à se: ergo ens non constituitur in esse vnus transcendentaliter per negationem divisionis à se.

SVBSECTIO IV.

Vltimum argumentum principale ponitur.

44 **Q**uia impossibile est vt detur in vno, oppositum illud quod constituit aliud in esse oppositum, cum in rationibus formalibus opposita vt opposita, se excludant: sed in multitudine, v. g. in acervo lapidum, quæ est opposita vni; datur indivisio à se; nam hæc est vera prædicatio, & ita vera vt sit identica, acervus lapidum est acervus lapidum, & non est distinctus à se; unde non potest dici quod non sit ipse acervus lapidum: ergo est indivisus à se: ergo multitudo lapidum habet illam rationem formalem, quæ est in suo opposito, unitate scilicet, hoc est indivisionem à se; quod est absurdum; ergo indivisio à se non est constitutivum formale unitatis.

Dicunt adversarij acervum lapidum, non habere indivisionem à se in ratione entis, sed in ratione acervi; quare non est contra nos, aiunt.

Sed contra primo, quia acervus in quantum ens, non est oppositum vni, quia vnum vt vnum etiam dicit ens, sed in quantum acervus est multitudo, & quatenus acervus est; ergo licet acervus habeat divisionem à se in esse entis, & in esse acervi;

✠ ✠ ✠ acervi;

acervi, quæ est ratio per quam opponitur unitati, non est divisus à se, sed indivisus: ergo in esse acervi habet rationem constitutivam unitatis: ergo oppositum ut oppositum habet rationem formalem constitutivam alterius oppositi; unde esset oppositum, & non oppositum: antecedens patet, quia attributum non opponitur essentia, neque essentia attributo: sed vnum est attributum entis: ergo vnum non opponitur enti; ergo vnum non opponitur acervo in ratione entis, cum in illa ratione convenient, sicut homo non opponitur equo in esse animalis, nec risibilitas hominis opponitur inhospitalitati, vel equo in ratione entis, quia ratio convenienti non est ratio disconvenienti, maxime quæ consistit in oppositione, sic similiter acervus, & vnum non possunt opponi in ratione entis ut sic: sed in ratione multitudinis, & unitatis, quia in ratione habendi esse convenient; ex quibus colligitur solutionem adversariorum, potius esse pro nobis quam in favorem illorum, ut patet ex hoc dicto argumento.

- 47 Item, quia multitudo ut multitudo, si in quantum ens esset divisa à se, etiam esset divisa in esse multitudinis, quia quicquid convenit essentiali rationi convenit illi, de cuius essentia est adæquate: sed de essentia multitudinis est esse ens adæquate: ergo si enti convenit quod dividatur à se, etiam convenit multitudini de cuius essentia est. Unde iam multitudo esset divisa à se ipsa, quod falsum probavimus.

SVBSECTIO V.

Secunda Conclusio ponitur.

- 48 **S**ecunda conclusio; vnum non addit primario essentialiter negationem divisionis ab alio: hæc est communis opinio, quia vnum ut vnum est absolutum: sed absolutum ut tale, non potest addere divisionem ab alio in suo primario, & formali conceptu: ergo vnum ut vnum non potest dicere divisionem ab alio primario. Maior est evidens, quia vnum ut vnum nullam dicit relationem, nec transcendentalem, nec prædicamentalem primario: ergo vnum ut vnum est absolutum. Antecedens sic patet de prædicamentali, quia si vnum ut sic diceret relationem prædicamentalem, omne contentum sub illo diceret talem relationem: sed hoc est falsum: ergo vnum ut sic non dicit relationem prædicamentalem. Maior est evidens secundum illud principium: dici de omni, & dici de nullo, id est quicquid convenit superiori realiter convenit omni contento sub illo: sed vnum ut sic dicit relationem prædicamentalem per vos realiter constituentem vnum: ergo omne contentum sub illo diceret talem relationem: sed hoc est falsum, quod sic probatur, quia Deus est contentus sub vno ut sic: sed Deus est incapax relationis prædicamentalis realis, quia ut in Logica longe probavimus, relatio est modus accidentalis ex natura rei distinctus à re in qua fundatur scilicet: sed Deus est incapax modi ex natura rei distincti ab ipso: ergo Deus est incapax talis, &c. ergo relatio prædicamentalis illa non convenit omni contento.

- 49 De relatione transcendentali sic probatur, quia relatio transcendentis est ordinatio essentialis relati ad aliquod à parte rei distinctum ab

ipso relato, tanquam à termino: sed vnum ut sic non potest essentialiter ordinari ad aliquod distinctum realiter ab ipso: ergo non habet relationem transcendentalem; quoad primam partem maior clara est, quia relatio transcendentis in hoc distinguitur à prædicamentali, quod relatio prædicamentalis non est de essentia: sed extra essentiam rei, relatio autem transcendentis est de essentia, & intra essentiam relati, ut patet in relatione potentiarum ad obiecta animæ ad corpus; quoad secundam partem illius maioris sic probatur, quia omnis relatio realis dicit oppositionem cum suo termino, in ratione relativa, quod adeo verum est, ut etiam relationes, quæ dantur in divinis, dicant oppositionem secundum illud tritum axioma, in divinis omnia sunt vnum, ubi non obviat relationis oppositio, quæ relationes transcendentales, vel quasi transcendentales dicuntur: Item potentia dicit relativam oppositionem cum suo obiecto: sed oppositio non potest dari, nisi inter distincta à parte rei, quæcumque enim vera, & propria oppositio realis excludit ab identitate aliud, hoc est distinguitur realiter ab illo; quod patet in exemplo supra posito; Pater enim æternus opponitur, & dicit oppositionem respectu Filii, & ideo distinguitur realiter à Filio, quod etiam contingit in materia; nam materia prima dicit oppositionem relativam transcendentem cum forma, & materia prima propter hanc oppositionem dicit distinctionem realiter à forma: sed vnum ut sic nullum habet distinctum à parte rei à se ad quod possit dicere talem relationem transcendentem in primis; quia omnia quæ sunt à parte rei, sunt inferiora vnius ut sic transcendentis: sed nullum inferius essentialiter distinguitur realiter à superiori metaphysico: ergo nullum habet realiter distinctum à parte rei, ad quod dicat talem relationem.

Dices posse dicere illam relationem ad multitudinem.

Sed contra, quia unitas est mensura multitudinis seu numeri, ut probat latissime Aristoteles, in *met. lib. 5.* quod confirmat Divus Thomas, multis rationibus, & exemplis: sed mensura ut mensura non dicit ordinem transcendentem realem ad mensurabile, & ideo ut ipse Aristoteles ait, tertium genus relationum, quod est inter mensurabile, & mensuratum, & ex alia parte mensuram non esse mutuum, quia ex parte mensuræ non correspondet alia relatio: mensura enim non respicit mensurabile, licet mensurabile respiciat mensuram, quod clarissime probatur exemplo potentie visivæ; lux enim, quæ obiectum est potentie visivæ nullam dicit relationem transcendentem ad potentiam visivam, alias obiectum specificaretur à potentia, & iterum potentia ab obiecto, quem modum specificationis vocat Aristoteles circulum vitiosum, ratione cuius nullus definitur lucem, definit in ordine ad potentiam visivam. Clarius explicatur in obiecto intellectus; Deus enim, qui obiectum est intellectus creati, nullum dicit ordinem transcendentem ad illum, alias haberet pro causa finali intellectum creatum, quia omne specificativum vel est causa finalis, vel formalis extrinseca, à qua sicut accipit speciem (hoc enim sonat specificari) ita specificatum sumit essentiam, in qua specificatione dependet ab specificante; atqui Deus omnino est à se, & nullam habet causam: ergo à nullo

to specificatur nec accipit speciem; præcipue ab accidenti, quale est intellectus creatus: ergo sub ratione intelligibilis non dicit ordinem transcendentalem ad potentiam; atqui in hoc convenit Deus cum cæteris objectis: ergo nullum obiectum dicit ordinem transcendentalem ad potentiam ratio à priori est.

Quia ordo transcendentalis est de essentia illius, cuius ordo est, & non convenit secundario rei, cuius est ordo; unde ordo transcendentalis in materia prima est de essentia illius, nec est prædicatum secundarium materiæ primæ: sed intelligibilitas in ente, & visibilitas in luce sunt secundarij conceptus entis, & ideo intelligibilitas, quæ veritas transcendentalis est, est attributum, seu passio entis: ergo intelligibilitas in ente non est ordo transcendentalis ipsius ad potentiam; patet consequentia, quia ordo transcendentalis, ut diximus, non est attributum, nec secundarius conceptus, sed potius est essentia, & primarium constitutum rei; sed intelligibilitas, seu veritas, utpote attributum est secundarius conceptus rei: ergo intelligibilitas non est ordo transcendentalis in resed intelligibilitas est ratio constitutiva obiecti in quantum obiectum est: ergo obiectum ut obiectum non dicit ordinem transcendentalem ad potentiam, quia id, quod est mensura alterius, non debet iterum mensurari ab ipso, hoc est referri essentialiter ad illud, alias de primo ad ultimum idem à seipso mensuraretur, quia quod est causa causæ, est causa causati: atqui unitas est mensura numeri, seu multitudinis: ergo unitas non dicit ordinem transcendentalem ad multitudinem.

Item, quia Deus secundum se, sine eo quod concipiatur in ordine ad aliud est vnum perfectissimum, ex eo quod nullam habeat divisionem in se, nam præcise ex eo quod concipiatur sine divisione, non est plura, aut multa: ergo secundum se est vnum sine eo quod ad hunc conceptum debeamus intelligere Deum in ordine ad aliud, sed tantum in se, & ut in se est, præcipue, quia Deus incapax est cuiuscunque ordinis, quia in Deo fides catholica non cognoscit, nisi relationes producentis, & producti, per quas distinguuntur divinæ personæ; atqui relatio vnius non est producentis, & producti: ergo non datur in Deo relatio vnius: ergo unitas non constituitur per relationem, sed per absolutam indivisionem.

Minor primi, & præcipui syllogismi sic probatur, quia divisio positive sumpta est relatio formaliter, ut supra probavimus; nam est relatio distinctionis; sed vnum, ut vnum non est relativum, sed absolutum omnino in ratione vnius transcendentaliter: ergo vnum, ut vnum non dicit divisionem.

Dices, divisionem non solum esse relationem: sed negationem identitatis cum alio.

Sed contra primo, quia si divisio negative sumpta est de ratione unitatis, sicut & indivisio; ergo ratio unitatis constat ex duplici negatione: ergo istæ negationes sunt priores ista unitate, nam constitutiva priora sunt constitutis, & partes definitionis sunt priores definito; tunc sic: ergo prior est multitudo ipsa unitate, quod est impossibile; siquidem multitudo componitur ex unitatibus: patet ista consequentia; nam indivisio, & divisio non sunt vna, & eadem negatio ut contrarij fatentur, sed duæ; ubi autem est dualitas, ibi pluralitas est, & multitudo.

Urgetur amplius; quia illa dualitas negationis constituitur duabus negationibus de quacunque, vel de vnaquaque illarum negationum: rogo, an sit vna negatio, vel non; non potest dici quod non sit vna negatio, quia non sunt plures negationes. Iterum interrogo de illa, an constituitur in esse vnius negationis per dualitatem vel non; si non: ergo etiam vnum potest constitui, non per dualitatem, si constituitur, proceditur in infinitum, & præterea, quia hoc impossibile est, nam ens, v.g. in quantum vnum per vos, constituitur per duplicem negationem, quæ negationes uti diversæ, non possunt vniri inter se realiter, vna enim est negatio identitatis alterius, alia est negatio divisionis in se, quæ sunt negationes separatae, & divisæ inter se: ex quibus non potest coalescere vna per se negatio: ergo constitutum entis in esse vnius dicit carentiam ut quo illius rationis, quam habet formaliter constitutum ab ipso, & dicit negationem illius; Quod autem dicat negationem sic patet, quia ens ut vnum necessario, & formaliter dicit indivisionem; sed illud constitutum unitatis adequatum habet divisionem; nam indivisio in se dividitur à divisione ab alio: ergo illud adequatum constitutum dicit negationem illius, quod formaliter est in constituto; unde evidenter sequetur, non esse constitutum illius; ideo enim frigiditas non potest constituere calidum, quia frigiditas dicit negationem caloris, qui est in calido formaliter, ut supra late probavimus: ergo si illud constitutum dicit negationem eius, quod est in constituto, non poterit esse constitutum talis constituti.

Secundo, quando duo sunt de essentia alicuius metaphysice, vnum se habet ut contrahens, & aliud ut contrahibile: sed istæ duæ negationes non possunt ita se habere: ergo amba non sunt de essentia unitatis. Probatur minor: quia contrahens est distinctivum; ergo negatio illa, quæ est divisio ab alio, cum sit posterior negatione indivisionis, erit contrahens, & distinctivum unitatis; sed hoc implicat: ergo. Probatur minor; ex vi negationis illius, quæ divisio est, non est à quo unitas possit distinguui: ergo talis negatio non est contrahens, & distinctivum. Probatur hæc minor, quia vnum ut sic non est, à quo distinguatur ex vi illius divisionis, cum iam adequate ex vi indivisionis in se distinguatur; nam in vno subiecto non potest dari duplex distinctivum. Declaratur hoc ex eo quod ego intelligam aliquid habere in se divisionem; intelligo multitudinem: ergo è contra ex eo quod intelligam aliquid habens indivisionem in se, intelligo vnum.

Hoc totum ex Aristotele lib. 5. met. cap. 6. patet, ubi definit unitatem transcendentalem solum per indivisionem rei in se; sed hæc definitio esset inepta, si unitas includeret primario, & formaliter divisionem ab alio: ergo. Minor probatur; quia inepte definirem Angelum per solum spiritum, cum Angelus præter spiritum, habeat rationem completi, & habeat rationem substantiæ; sicut inepte definiretur homo per solum animal; sed vnum includit, præter negationem divisionis in se divisionem ab alio: ergo male definitur per solam negationem divisionis in se. Item D. Thomas in 1. distinct. 24. quest. 1. art. 1. ad 2. ult. ait, vnum transcendens sic proprie, & vere definitur, vnum est ens quod non dividitur in se: ergo ex sententia D. Thomæ confirmantis locum Aristotelis vnum solum includit indivisionem in se.

SVB

SVBSECTIO VLTIMA.

Conclusio ponitur.

⁵⁸ Negatio, quam dicit vnum primario, & formaliter est negatio divisionis in se; hæc est communior sententia, ut videre est in P. Suarez tom. 1. *met. disp. 6.* est sententia clarissima Aristotelis lib. 5. *met. cap. 3. lib. 10. met. cap. 5. 3. & 4.* eam etiam tenet D. Thomas, locis supra citatis, in quibus ingenue fatetur negationem, per quam constituitur unitas, esse divisionis in se, & q. 9. *de potentia, art. 7. in corpore*, hæc docet; vnum vero quod convertitur cum alio, non addit supra ens, nisi negationem divisionis in proprio esse; quod etiam in 1. *disp. 24.* eisdem pene verbis repetit.

⁵⁹ Probat hanc sententia breviter ex supra re-
futatis; quia vnum dicit negationem divisionis, ut ex supra late probatis patet; sed non est alia negatio divisionis, per quam possit constitui, nisi negatio divisionis in se: ergo per illam constituitur vnum: minor sic probatur; quia triplex tantum negatio divisionis datur, alia divisionis in se, alia divisionis à se; & tandem divisionis ab alio; sed per has duas ultimas, non constituitur vnum: ergo necessario dicendum est constitui per negationem divisionis in se.

Item, quia opposita oppositis constituuntur; ⁶⁰ sed multitudo, quæ est opposita unitati, constituitur divisione in se: ergo unitas constituitur negatione divisionis in se: minor sic probatur; quia ex eo quod illæ entitates, quæ constituunt multitudinem, habent divisionem inter se, & multitudo habet in illis partibus distinctionem, & divisionem, est vere, & realiter pluralitas; sed illæ partes, in quibus habet distinctionem multitudinis, & pluralitas, sunt totum esse multitudinis, & pluralitatis: ergo multitudo quatenus habet divisionem in suo esse, id est in suis partibus, est multitudo, & pluralitas.

⁶¹ Præterea, quia multitudo est realiter divisa est pluralitas formaliter; sed non potest esse talis divisione à se, tum quia multitudo ut talis realis est, & divisio à se est chimerica, & fictitia, & nullum reale esse habet, ut supra probavimus; atqui nihil quod vere datur à parte rei constituitur per aliquod fictitium, & chimericum: ergo. Tum denique; quia præciso per intellectum quocunque alio, & remanente solum divisione in partibus multitudinis, ita ut vnum quodque componens multitudinem, sit divisum, & distinctum ab alio, & terminatum suo termino, ratione cuius datur relatio divisionis, datur formaliter, & materialiter multitudo: ergo præter divisionem in se non constituitur alio multitudo: ergo supradicta unitas, quæ est opposita multitudini, constituitur negatione divisionis in se: quod expresse docuit D. Thomas in 1. *disp. 19. quest. 4. art. 1. ad 2.* his verbis; quod ipsa essentia entis creati secundum quod est indivisa in se, & distincta ab alijs, est unitas eius; quod etiam docet Avicenna 3. *met. cap. 3.* his verbis; unitas est esse, quod non dividitur, ita quod esse est de essentia unitatis, & non subiectum ei, unitas enim, & non substantialiter est ipsum esse, quod non dividitur in se, ubi ait, unitatem dicere duo, sic entitatem, & negationem, ita ut utrumque sit essentiale unitati, quia teste Aristotele 4. *metaph.*

ens, & vnum eandem naturam significant, quod non ita contingeret, si solum negationem, & non entitatem includeret: ergo unitas dicit, & entitatem, & negationem divisionis in se, v. g. Deus dicitur vnum ab unitate Dei, quæ consistit in essentia indivisa, & similiter Petrus dicitur vnum numero, quia habet vnam numero naturam, unde unitas eius non consistit in sola negatione, ac denique ex ipsis terminis hoc ipsum constare videtur; præcipue quia vnum non dicitur vni voce de ente positivo, & privatione, ut per se notum est, & tamen si præcise consideres negationem divisionis æque potest attribui, & denominare privationes, v. g. cæcitatem, & tenebras, &c. sicut ens reale positivum: ergo signum est vnum non dicere de formali solum negationem, alias denominatio vnius æque posset cadere in mortem, & in hominem, quia significatio vocis positivum attendenda est ex significato formali, sicut nomina artefactorum censentur non significare solum figuram in significato formali, quia non æque, neque vni voce dicuntur de rebus habentibus eandem figuram in diversis materijs; ut serra non dicitur vni voce de ferrea, & cerea; sic ergo neque vnum significabit solum negationem de formali; cum non æque dicatur de omnibus, quibus æque potest convenire talis negatio; dicit ergo de formali, & negationem, & entitatem ipsam indivisam, quia vnum propterea est transcendens, non dicit de formali aliquid supponens ens, & quasi adiacens, & adveniens illi, sicut album dicit de formali albedinem, non enim sic intelligitur res esse una, sicut alba, quia alba res est per formam supervenientem alteri entitati, una vero est intine per suammet entitatem.

SECTIO VLTIMA.

Argumenta adversaria solvantur.

⁶² Ad primum distinguo maiorem, quæ magis opponitur realiter, & constituit primo, & per se multitudinem sine fictione, & à parte rei concedo, quæ hoc facit chimerice, & per fictionem, nego; ad minorem eodem modo respondeo; sicut etiam simili modo probationi minoris responsum tribuo.

Ad secundum respondeo concedendo maiorem, & negando minorem; ad probationem minoris concedo maiorem, & distinguo minorem; destruit partem per se necessario, & formaliter, ex vi divisionis in se ut sic, nego; destruit partem per accidens, quia pars imperfecta est, concedo, forma enim materialis propter suam imperfectionem destruitur, dissoluta vniione, quia dependet necessario ab ipsa materia naturaliter in esse fieri, & conservari, materialiter autem dicitur, & per accidens destrui ratione divisionis, non autem formaliter, quia inter animam rationalem, & materiam primam in morte hominis datur divisio, seu separatio, & nihilominus non destruntur partes. Item qua divisio, quæ constituit multitudinem oppositam unitati, non est divisio quantitativa, sed ut ait D. Thomas ubi supra, divisio transcendentalis, & entitativa, id est distinctio realis.

Ad tertium nego maiorem, quia non negatur vere, & realiter, & sine fictione in acervo, eandem

Quæst. IV. An Vnitas sit, &c. 265

dem lapidem esse, & non esse ipsum; ad primam consequentiam distinguo illam, erit vnum fictitium, & chimerice concedo, realiter, & transcendentaliter, nego.

Ad primum secundæ sententiæ respondeo, concedendo maiorem, & negando minorem; ad secundam concedo maiorem, & nego similiter minorem; ad probationem respondetur eadem ratione posse probari, negationem albedinis; seu non esse album esse de essentia hominis; siquidem illius contradictoriū, scilicet esse album non includitur in essentia hominis; dicimus igitur vnum ex illis contradictorijs necessario sequi ad essentiam vnius, non tamen constituere essentialiter vnum.

QVÆSTIO IV.

An vnitas sit adequata, & proprium attributum entis.

SECTIO I.

Sententia Adversariorum proponuntur.

1. Prima sententia est P. Vasquez, 1. p. disp. 12. cap. 3. tom. 2. docentis vnum non converti adæquate cum ente; probatur hæc sententia sic.
2. Primo membrum dividens non potest adæquate converti cum toto membro diviso: sed ens est divisum, & membra dividentia secundum Aristotelem 10. met. cap. 1. sunt vnum, & multa; ergo neque adæquate convertitur cum vno; neque cum multitudine; ac proinde vnum non erit adæquatum attributum entis, quia adæquatum attributum convertitur cum essentia, cuius est attributum.
3. Confirmatur, quia quæ essentialiter opponuntur, non possunt eidem adæquate convenire; sed vnum, & multa opponuntur essentialiter: ergo non possunt eidem enti adæquate convenire.
4. Secundo, si vnum converteretur cum ente, cuiusque conveniret ratio entis, conveniret etiam ratio vnius; sed non convenit ratio vnius, cuiusque convenit ratio entis; ergo vnum non convertitur cum ente. Maior est evidens; probatur minor; multitudini hominum, v.g. convenit ens reale; sed multitudini hominum non convenit vnitas; ergo alicui convenit ens reale cui non convenit vnitas; probatur maior; multitudo hominum est aliquid; non enim est nihil, aut figmentum rationis; sed omne illud, quod est aliquid à parte rei est ens reale: ergo multitudo hominum est ens reale.
5. Secunda sententia asserit, nullum attributum addens negationem, esse proprie attributum; unde si vnum addit negationem supra ens, non est proprie attributum entis; sic P. Hurtado in metaph. disputat. 3. sect. 3. dicto 1. hæc sententia probatur sic.
6. Primo attributum pro formali est idem à parte rei cum essentia; sed negatio, & privatio non est idem à parte rei cum ente; ergo. Probatur minor: attributum solum distinguitur per rationem à R. P. Ideph. de Peñafiel, Theol. Schol. Tom. 1.

subiecto, alias non erit attributum, sed stricta passio.

Confirmatur, quia attributum est conceptus secundarius eiusdem subiecti solum nostro modo concipiendi supponens primum; & quidditativum; sed negatio plusquam ratione distinguitur à subiecto, & præterea in re supponit conceptum primum, & quidditativum; ergo.

Secundo attributum potest in abstracto prædicari de essentia; ut Deus est omnipotentia, rationalitas est risibilitas; sed negatio, aut privatio non potest prædicari in abstracto de ente; sunt enim falsæ hæc enuntiationes, ens est negatio; entitas est privatio.

Ultimo; quia illud attributum, quod dicit negationem, convenit vnivoce cum ente rationis in ratione negationis; sed illud, quod convenit vnivoce cum ente fictitio non potest esse attributum entis realis, v.g. Dei; ergo vnum, quod addit negationem, non est attributum entis; maior sic probatur, quia si præcise ratio negationis spectetur, quia merum nihil est; non habet magis ut dicat ordinem ad ens reale, quam ad ens rationis, quo fit, ut ab omnibus negationibus vna ratio præcindi possit; ergo.

SECTIO II.

Aliqua certa notantur.

Primo advertendum est, duplex esse prædicatum conveniens enti ut sic, aliud essentialiale, & primum, aliud secundarium; primum est definitio entis, v.g. non repugnat existere realiter vel habens essentiam realem; secundarium est, de quo nunc controvertitur, & hoc est triplex, v.g. vnum, verum, & bonum, quæ prædicata communiter secundario convenirenti dicuntur, quia autem omnibus entibus conveniunt, ita ut nullum sit ens, quod non habeat vnitatem, veritatem, & bonitatem, & videantur reciprocari cum ente; ideo de illis, & præcipue de primo, scilicet vno interrogatur, an sit attributum proprie, & adæquatum vel proprietatis respectu entis ut sic. Ad quod advertas, licet, quod dupliciter potest aliquid proprietatis alterius nominari proprie, & secundum rem vel secundum conceptibilitatem: Ad hoc autem ut sit proprietatis vera alterius, ut ait P. Suarez in intr. disp. 1. sect. 1. quatuor condiciones, ut minimum requirit; prima est ut ipsa proprietatis sit aliqua res proprie, id est positiva entitas, ut adnotat D. Thomas opusc. 92. & in 1. disp. 4. & quodlibet 24. & 5. met. lect. 7. nam si nihil est, vel si est negatio, non potest proprietatis vocari in rigore loquendi. Secunda est ut distinguatur ab illo, cuius est proprietatis à parte rei adæquate, & totaliter; v.g. risibilitas distinguitur à rationalitate; nam si sit idem cum illo, potius essentia, vel de essentia eius debet dici, quam proprietatis. Tertia ut adæquate illi conveniat, seu cum illo convertatur; agimus enim de proprietate, quæ per se secundo aliquid convenit; nam hæc sola est, quæ sub scientiam cadit & demonstrari potest. Quarta denique ut subiectum, seu id cuius est proprietatis non sit de intrinseca ratione, & essentia talis proprietatis; quia ut Aristoteles dicit lib. 7. met. tex. 18. & 1. poster. cap. 18. tex. 35. subiectum non cadit intrinsece, & essentialiter, sed solum ut additum in definitione passionis, alioquin mutuo

L l ita